

## 1321-1321- OFP - Acta Capitulorum Generalium Florencie Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capitulo generalis Florencie celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XXI° ·

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus has constituciones: In capitulo de gravi culpa, ubi dicitur: si quis autem, quod deus avertat, in peccatum carnis lapsus fuerit, addatur: aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas magistri ordinis aut priorum provincialium seu sigilla eorum falsificaverit vel falsificatis scienter usus fuerit, aut in prelatum suum manus iniecerit temere violentas, aut quemcumque lethaliter seu graviter et atrociter percosserit, aut infra septa monasterii aut supra se arma invasiva portare presumpserit, aut aliqua predictorum fieri fecerit.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: si quis autem de mala familiaritate etc. se non correxisse fuerit deprehensus, deleatur totum, quod sequitur usque ibi inclusive: provideatur ordinis honestati, et dicatur sic: Precipiatur sibi in virtute sancte obedientie per prelatum coram illis, coram quibus monitus fuerat, si presentes fuerint, vel coram aliis discretis de consilio eorumdem, quod a tali familiaritate desistat. Quod si tale preceptum transgressus fuerit, postquam de hoc legitime constiterit, tanquam reus et convictus de suspecto crimine puniatur.

Item hanc: In capitulo de gravissima culpa in fine, ubi dicitur: secundum discretionem prelati puniatur, addatur: quicumque autem fuerit carceri sentencialiter et legitime mancipatus, nullo modo, nisi per diffinitores generalis capitulo vel provincialis valeat liberari. Que liberacio non fiat ad minus ante annum, nec eciam tunc nisi de vera et perfecta eius penitencia secundum quantitatem et qualitatem delicti prius constiterit emendatus. Quod si aliquis inventus fuerit aliquis indebito carceri mancipare vel in graviori culpa ponere, ad eamdem penam, ad quam nos eum presenti statuto condempnamus, per superiorem suum, quam cito sibi constiterit, compellatur.

Item hanc: In capitulo, de apostatis, ubi dicitur: Qui vero semel apostataverit vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: aut carceri sentencialiter et legitime mancipatus.

Item. Ibidem, ubi dicitur: nisi per diffinitores capitulo generalis vel provincialis fuerit restitutus; deleatur totum usque in finem et dicatur sic: Ordinamus, quod predicta omnia et singula in medio tempore inviolabiliter obseruentur pro culpis in posterum perpetrandis.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capitulo provincialis et generalis, ubi dicitur: si vero medio tempore etc., deleatur totum usque ibi inclusive: loco ipsius diffinitor habeatur, et dicatur sic: Si vero electum in diffinitorum ante vigiliam pentecostes ad capitulum non venire aut presentem vel mori vel de iure ad diffinicionem impediri contigerit, socius eius, si tunc presens fuerit, ipso iure loco ipsius diffinitor in toto capitulo habeatur. Quod si utrumque ipsorum, tempore quo primum incipit diffinitorum auctoritas, contigerit ad capitulum non venisse, quicumque eorum postea ad capitulum prior venerit, sit simpliciter diffinitor; quod si simul concurrerint, diffinitor socio preferatur.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventionalis et institucione subprioris circa finem, ubi dicitur: tres fratres illius conventus, addatur: presentes et usum racionis et vocem in electionibus habentes.

Item. Ibidem, ubi dicitur: eligant, deleatur: eligant, et dicatur: antequam bibant vel comedant, eligere teneantur, renunciacione qualibet non obstante.

Item hanc: Quod in vigilia sancti Iacobi fiat de sanctis Christophoro et Cucufate festum trium lectionum; et magister ordinis providebit de officio. El hoc in kalendario et ordinario in locis debitibus annotetur.

Item hanc: In ordinario in rubrica de festo trinitatis in fine, ubi dicitur: usque ad vesperas sequentis sabbati exclusive, deleatur: sabbati exclusive, et dicatur: ferie · iiii · exclusive, et addatur: feria · v · post festum trinitatis fiat festum de corpore Christi totum duplex cum octavis, quibus durantibus de quibuscumque aliis octavis preter diem octave memoria tantum fiat. Si autem istud festum et nativitatis s. Iohannis eadem die concurrent, in observancia eorum nos matrici ecclesie conformamus. Officium autem diurnum et nocturnum fiat, secundum quod per reverendum patrem magistrum ordinis extiterit ordinatum. Et hoc in ordinario in locis debitibus annotetur. Ordinat autem reverendus pater magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod interim predictum officium decantetur, et predicta ordinacio observetur.

Ordinat magister ordinis, ex commissione per tria generalia capitula immediate precedencia sibi facta, quod ad memoriam, que fit de beato Petro martyre, per totum annum dicatur antiphona in matutinis: Petrus novus, versus: prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Responsorium: posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. In vesperis antiphona: ad sancti Petri; versus: desiderium anime eius tribuisti ei, domine. Responsorium: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Et hec in ordinario et rubrica de festo ipsius scribantur.

### **Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Cum ex inordinato discursu fratrum diversa quandoque pericula et scandala oriantur, volumus et ordinamus, quod nulli detur licencia eundi extra conventum, nisi prius expressis causis, negotiis et personis; que licencia, nisi fuerit causa racionabilis, nullatenus concedatur; et concessa assignetur eidem socius, prout expedit ordinis honestati. Quod si petens licenciam determinatum socium pecierit, eo ipso pro illa vice sit illo socio privatus. Si vero sic licenciatus ad loca vel personas non nominatas declinaverit, in redditu hoc ipsum prelato dicere teneatur, alioquin tanquam suspectus habeatur nec extra conventum licencietur, nisi cum socio sibi ad custodiam deputato.

Iniungimus autem prioribus et eorum vicariis, quod sic de combinacionibus provideant, quod saltem altera pars copule sit mature etatis et vite solide ac secure. Et ut istud melius valeat observari, imponimus prioribus provincialibus, quod intiment sub secreto prioribus conventionalibus fratres notatos et non securos eis subiectos, ut per se et suos vicarios oculos habeant super ipsos.

Item. Cum ex nostra professione redditus seu possessiones non liceat nos habere, inhibemus districte, ne frater aliquis redditus ad vitam suam emere presumat. Quicumque autem hactenus emerint, infra sequens capitulum generale eosdem bona fide vendant vel penitus alienent, alioquin ius, si quod habeant, et omnis utilitas ipso facto redeant totaliter ad conventum illum, ad quem res sue pertinerent, si illo tempore morerentur, cui nos presenti ordinacione duximus applicanda. De elemosynis autem perpetuis, que ex diversis modis diversis conventibus vel fratribus actenus sunt relicte, priores provinciales et diffinitores in suis provincialibus capitulis de modo habendi et retinendi easdem diligencius inquirant; et quidquid pro certo in talibus esse contra formam constitutionis invenerint, omnino resecent et extirpent. Si quid autem dubium repererint, referant ad sequens generale capitulum.

Item. Cum constitucio dicat, quod quilibet frater reddat rationem suis maioribus, si fuerit requisitus, volumus et ordinamus, quod superiores, ad quos spectat talem recipere rationem, ipsam ab inferioribus requirant et audiant cum effectu; imponentes singulis prioribus conventionalibus, quod semel in anno per preceptum a quolibet fratre subdito requirant in scriptis, quantum debet et cui, quantum ei debetur et a quo, et quantum habeant et ubi in pecunia et rebus aliis preciosis. Quicumque vero huiusmodi precepti transgressor inventus fuerit, furti iudicio condempnetur, et nichilominus ea, que celaverit, conventui, ad quem pertinet, applicamus. Declaramus autem, quod inquisidores heretice pravitatis de personalibus priori suo conventionali, sed de pertinentibus ad officium priori provinciali rationem reddere teneantur. Prior autem provincialis teneatur rationem reddere suis diffinitoribus non solum de pertinentibus ad provinciam, sed eciam ad personam.

Volumus autem et ordinamus, quod priores provinciales, si quos conventus in suis visitacionibus invenerint in substancialibus victus deficere, de abundancia fratrum potentium, per modum doni vel mutui, tali necessitatи studeant subvenire; et ut de conveuum indigencia plenius sibi constet, conventus sue provincie successive curet personaliter visitare.

Item. Cum aliqui fratres in confusionem ordinis et dampnacionem animarum suarum correctionem de se vel de aliis fiendam vel iam factam impediri procurent et gravamina inferri aliis fratribus per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, volumus et ordinamus, quod quicumque talis inventus fuerit, pene culpe subiaceat gravioris et omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum ordinis ac diffinitores caputli generalis.

Item. Ad subtrahendum fratribus materiam evagandi volumus et ordinamus, quod quicumque frater iverit sine licencia sui prioris provincialis ad magistrum ordinis extra suam provinciam existentem vel ad ipsum magistrum in eadem provincia existentem vel ad priorem provincialem sine licencia sui prioris conventionalis, cum ad magistrum vel ad provincialem venerit, ex integro circuletur et sit per triennium voce privatus. Priores autem provinciales vel conventionales ad hanc licenciam dandam non se reddant difficiles, cum ydoneo socio, si manifesta et racionabilis causa eisdem fuerit allegata.

Item. Ad reformacionem ieunii a festo sancte crucis usque ad festum pasche, quod per inordinatas dispensaciones notabiliter dissipatur, volumus et ordinamus, quod priores et eorum vicarii non dispensem, nec dispensare possint ultra quam semel vel bis ad plus, in eadem ebdomada, cum eodem, nisi cum notabiliter debilibus vel infirmis, exceptis actu legentibus, continuantibus lectiones, et iuvenibus non sacerdotibus, cum quibus prior possit dispensare ordinate, secundum modum in provincia consuetum et exceptis communibus recreacionibus sine carnibus, que solent fieri in quibusdam provinciis ante quadragesimam et adventum. Quicumque autem aliter de facto dispensare presumpserit, si sit prior vel supprior, ab officio in penam absolvatur; vicarii vero priventur, ut non possint presesse per annum. Imponentes visitatoribus, quod super hoc in quolibet conventu sue visitacionis diligenter inquirant, et si aliquem invenerint transgressor, referant priori provinciali et diffinitoribus caputli provincialis, quibus iniungimus, ut penam predictam effectui studeant mancipare. Illi autem, cum quibus taliter dispensatum fuerit, sic se de cena expediant, quod sint in principio completorii, alioquin dispensacione consimili usque ad mensem integrum sint privati; et nichilominus tam hii, quam quicumque alii a completorio defuerint sine licencia vel post signum, quod fit post completorium, silencium fregerint, bibant in sequenti primo prandio indispensabiliter solam aquam, exceptis hospitibus venientibus de foris prima die. Prior autem, qui accusato coram ipso et convicto vel confesso non imposuerit dictam penitenciam cum effectu, ad similem in sequenti primo prandio teneatur, super quo eius conscientiam oneramus. Non tamen intendimus in hac ordinacione includere lectors, magistros et baccalareos in theologia et eos, qui fuerunt priores provinciales vel diffinitores caputli generalis.

Item. Cum esus carnium in nonnullis provinciis et conventibus nimis de facili concedatur, volumus et ordinamus, quod in constitutione de non comedendo carnes nisi causa infirmitatis non possit dispensari, nisi cum evidenter indigentibus de consilio medicine, exceptis notabiliter antiquis et lectoribus actu legentibus et continuantibus lectiones cum quibus possit dispensari per duas quindenas in anno. Lectoribus tamen in studio generali tercia et magistris et bacalareis in theologia quarta poterit superaddi.

Item. Quia primis predicatoribus dictum est: "Nolite vocari rabbi, unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis"<sup>1</sup>, inhibemus districte, ne frater aliquis nostri ordinis magister in theologia existens, quandocumque ab alio fratre ex nomine proprio designatur, obmisso nomine fratris, prenominetur: magister, dicendo: magister Petrus aut magister Iohannes, et sic de aliis; que nominatio vana est et secularium vocancium nomina sua in terris suis, sed semper prenominentur fratres, dicendo: frater Petrus aut frater Iohannes, sicut consueverunt fratres alii nominari. Omnes eciam magistri in theologia et baccalarei vel lectores, quandocumque ad aliqua officia in tabula annotantur, nunquam scribantur sub istis nominibus dignitatis, sed illo solo modo, quo fratres simplices scribi solent<sup>2</sup>.

Item. Si qui priores provinciales vel eorum vicarii concesserint aliquibus fratribus aliquas gradias quantum ad exempcionem ab observanciis regularibus et laboribus querendi et procurandi pro conventu a tempore capituli Caturcensis, magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu revocat interdicens, ne tales de cetero concedantur, exceptis magistris et bacallareis in theologia et illis, qui fuerunt priores provinciales et diffinitores capituli generalis.

Item. Cum ex insufficiencia et insolencia fratrum aliquorum, missorum ad studia generalia, ordo noster interdum iacturam paciatur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et aliis universis, ad quos mittere pertinebit, ne fratres male vite aut insolentes vel insufficientes in sciencia scienter mittant vel ipsi aut quicunque alii a quocumque mitti procurent ad aliquod studium generale. Si qui autem in predictis studiis inventi fuerint criminosi aut notabiliter insolentes, per priorem provincialem, de consilio et assensu prioris, lectoris, bacallarei et magistri studencium in conventu, cum hoc legitime constiterit, ad suas provincias remittantur; et nichilominus, si eis videbitur, secundum culparum exigenciam puniantur. Volumus tamen et mandamus, quod studentes, religiose et quiete se habentes, benevole pertractentur et in suis graciis et immunitatibus, quas habent a magistris et a capitulis generalibus vel a consuetudine studii approbata integraliter conserventur.

Item. Ut studentes possint studio libere intendere, nullus studens extraneus exponatur ad audienciam confessionum secularium personarum nisi de sua nacione aut nisi in casu particulari de consilio discretorum, nisi evidens utilitas appareret.

Item. Volumus et districte inhibemus, ne in uno conventu ponatur nisi unus lector principalis.

Item. Volumus, quod lectores tam principales quam alii ad tardius incipient lectiones suas in crastino animarum et continent usque ad festum apostolorum Petri et Pauli. Quicumque autem in sic continuando inventi fuerint notabiliter defecisse, a suis officiis absolvantur et in aliis officiis ac regularibus observanciis sicut fratres simplices occupentur. Lectores eciam principales in lectione de textu biblie sensum literalem primo exponere teneantur.

Item. Nullus de novo ponatur ad legendum theologiam tamquam lector principalis vel bacalareus, nisi habeat testimonium prioris, lectoris, sublectoris et magistri studencium vel saltem maioris partis ipsorum illius studii generalis, in quo fuerint, qui in suis conscientiis fidele testimonium perhibeant de bonitate vite et sufficiencia sciencie eorumdem: super quo ipsorum conscientias volumus onerari.

Item. Nullus rediens de studio generali habens notabilem ydoneitatem ad officium lectorie confirmetur in priorem, nisi prius tribus vel quatuor annis ad minus legerit, nec lector actu legens in priorem confirmetur, nisi confirmans alium lectorem sufficientem habeat, de quo possit eidem conventui providere; quam provisionem infra quindenam facere teneatur.

Item. Ordinaciones factas in capitulo Lugdunensi de magistro studencium et in capitulo Caturcensi de sequela scolarum cum pena ibidem apposita diligencius observentur<sup>3</sup>.

Item. Ordinacionem factam de triginta florenis mittendis magistris el bacallareis Parisiensibus revocamus, iniungimus tamen provinciis, quod ipsis provideant secundum facultatem et indigenciam eorumdem.

Item. Volumus et ordinamus, quod provinciales diligenter inquirant de excessibus inquisitorum heretice pravitatis sive in modo procedendi sive in extorsione pecuniarum seu eciam in pompis et victu et vestitu et observancia regulari, et absolvant, quos invenerint notabiliter excedere in predictis vel in aliquo premissorum.

Item. Volumus et ordinamus, quod quelibet provincia teneatur providere, quod omnia privilegia generaliter ordini nostro concessa in unoquoque conventu vel saltem intra provinciam habeantur. Et imponimus procuratori ordinis, quod singulis provinciis cum earum expensis privilegia eis deficiencia procuret, quam cito fuerit a dictis provinciis requisitus.

Item. Vult et ordinat magister ordinis de diffinitorum consilio, quod in quolibet monasterio sororum missa conventionalis de die quolibet habeatur, et vult, quod provinciales vel eorum vicarii ordinent de aliquibus fratribus, qui missam illam dicere teneantur, si commode potest fieri hoc per fratres; sin autem provideant de alio capellano honesto el maturo. Interdicit autem dictus magister ordinis omnibus sororibus, quod nullum capellanum extra obedienciam nostri ordinis ad predictam missam admittant, nisi illum, de quo provincialis eis duxerit providendum.

<sup>1</sup> Matth. XXIII, 8.

<sup>2</sup> De eodem argumento cf. MOPH. III. pag. 234 l. 19 sqq.

<sup>3</sup> Cf. supra pag. III l. 7 sqq. et pag. 115 l. 10 sqq.

Imponit eciam provincialibus, quod ordinent, quod sorores provideant conventui fratrum pro fratribus facientibus eis ebbdomadarlam et aliis in earum serviceis occupatis secundum monasterii facultatem.

Item. Cum ex ingressu ad monasteria sororum multa pericula invenerimus subsecuta, iniungit districte magister ordinis de diffinitorum consilio prioribus provincialibus, quod circa restrictionem dicti ingressus invigilenter diligenter.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne alicuius fratrum nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine licencia eiusdem magistri speciali. Concedit autem magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negotiis necessariis ordinis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis, et de beato Petro martyre ad minus semel in quindena sollempniter celebretur.

Letania more solito dicatur.

#### **Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus priorem provincialem provincie Tholosane<sup>4</sup>, quia mittimus eum Parisius ad legendum sentencias isto anno, et instituimus vicarium in eadem provincia fratrem Guillielmum Dulcini, priorem Burdigalensem.

Item. Absolvimus priores conventuales Pisanum, Reatinum, Narniensem, Mevanensem, sancte Sabine, Tudertinum, Anagniensem et Cortonensem; et volumus, quod priores in isto capitulo absoluti in eisdem provinciis vel conventibus non possint resumi ad eadem officia isto anno.

#### **Iste sunt penitencie.**

Fratres Nicolaum Mor et Wenser de Argentina de provincia Theotonie, qui priorem provincialem suum verberaverunt, ad terram prostraverunt, ceperunt et violenter in carcerali custodia detinuerunt ac interficere voluerunt et socium eius et famulum vulneraverunt, perpetuo carceri adiudicamus et volumus, quod non ministretur eis nisi panis et aqua nisi in solo casu, in quo ad vitandum mortis periculum aliud fieri oporteret; nec volumus, quod aliquis in hoc valeat dispensare, nisi capitulum generale.

#### **Ista sunt suffragia pro vivis.**

Pro sanctissimo patre et domino nostro domino Iohanne summo pontifice ac bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos · iiii · missas et quilibet conuentus assignet ei unum ebbdomadarium in qualibet septimana etc.

#### **Ista sunt suffragia pro defunctis.**

Pro venerabili patre domino Nicholao Ostiensi et Velletriensi episcopo<sup>5</sup> quilibet sacerdos · iii · missas etc. Concedimus provincie Francie unam domum ponendam in Argentonio. Item. Provincie Tholosane duas: in locis de Bellovidere et de Marsiaco. Item. Provincie regni Sicilie unam ponendam in Abrucio.

Item. Provincie Romane unam, provincie Ungarie unam et provincie Theutonie unam ponendas, ubi priores provinciales et diffinitores capitulo provincialis dictarum provinciarum ordinaverint, dummodo dicte provincie habeant a summo pontifice, antequam dicta loca recipiant, super hoc licenciam specialem.

Quantum nostra interest, providemus de fratre Petro de Palma<sup>6</sup> de provincia Francie, quod legat sentencias Parisius anno futuro.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et baccalaureis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire. Sentencias iudicium approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Viennam in provincia Theotonie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas veniant ascensionis.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capitulo ante feriam · viam · vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capitulo cum intencione veniendi appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorumdem cum pueris in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipientur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur. Noverint universi presentes literas inspecturi, quod nos frater Herveus, magister ordinis fratrum predicatorum, Petrus de Palude, magister in theologia, diffinitor Francie, Recuperus de Guardavalle Senensis, diffinitor provincie Romane, Stephanus diffinitor Polonie, Benedictus de Pesculo, inquisitor, diffinitor regni Sicilie, Philippus de Cumis diffinitor Lombardie superioris, Gulielmus de Ebruton, magister in theologia, diffinitor Anglie, Bernardus de Pino diffinitor Aragonie, Henricus de Grunic diffinitor Theotonie, Benedictus de Vaccia diffinitor Hungarie, Rogerius de Marcia diffinitor Lombardie inferioris, Gienisius de Bruna diffinitor Bohemie, Gulielmus Dulcini de monte Albano diffinitor provincie Tholosane, Corradus de Albersthat diffinitor Saxonie, Laurencius Tyllingensis de conventu Sictuniensi diffinitor Dacie, Nicholaus de Creta diffinitor Grecie, et Petrus Lamberti lector Montispessulani diffinitor provincie Provincie, auditis et eciamsi receptis in scriptis

<sup>4</sup> Hugonem de Marciaco; de eo cf. DENIFLE Chartularium l.c. pagg. 242, 274, 275, 303; DENIFLE Archiv etc. II. pag. 217.

<sup>5</sup> De fr. Nicolao cf. supra pag. 126 l. 8.

<sup>6</sup> De fr. Petro de Palma cf. SSOP. I. pag. 614, DENIFLE Chartularium indicem.

delacionibus contra fratres aliquos de Romana provincia, qui spirituales ab aliquibus vocabantur, diligentem prius inquisicione premissa, examinando delatos per sentenciam excommunicacionis et per preceptum et eciam iuramentum, non invenimus in predictis esse probatum contra eos aliquid contra fidem seu eciam bonos mores, nec eciam in eis invenimus singularitatem vite fundatam in aliqua heresi vel errore. Volentes igitur finem ponere in predictis et quos non invenimus nocentes per aliquod contra eos probatum seu eciam confessatum, salvare et excusare, ut de iure tenemur, ac in posterum precavere, ne in nostro ordine et maxime in Romana provincia de predictis et circa predicta aliqua scandala orientur, fecimus, que sequuntur:

Primo determinamus omnes nemine discrepante et ex conscientia et de iure nichil esse probatum contra eos, qui spirituales vocantur, seu confessatum per eos contra fidem et bonos mores et contra singularitatem vite in aliquo errore seu secta fundatam.

Secundo publice inhibemus et districtius, ne aliquis frater singularitatem habeat in modo vivendi, que de se induceret in scandalum vel errorem, et nullus frater singularis in oracionibus sive abstinenciis et modo vivendi quantumcumque eciam virtuoso alias pro secta et colligacione fienda ad se trahere audeat quoquomodo, et penas imponimus contrarium facientibus valde graves.

Tercio prohibemus districte sub penis determinatis et gravibus, ne aliquis ex proposito vel deliberacione et ex certa scientia fratrem aliquem vel aliquos in communi spirituales vel de spiritu seu eciam spigolistas vel quovis nomine significante sectam vel colliganciam singularem appellare presumat<sup>7</sup>.

In horum autem omnium firmitatem et robur ego frater Herveus, magister ordinis, presentes literas sigilli nostri et sigillorum omnium predictorum diffinitorum feci munimine roborari.

Datum Florencie post capitulum generale anno domini · m° · ccc° · xxi° die · xviiia · iunii.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXIII.

---

<sup>7</sup> De variis huius temporis conatibus reformandi ordinem fusius disseremus in prolegomenis. In prioribus reformatribus numeres eos, qui hic “spirituales” “de spiritu” “spigolistae” nuncupantur. De eodem argumento interim cf. MASETTI Monumenta etc. I. pag. 277 sqq.; de spiritualibus omnino legas EHRLE Die Spiritualen in Archiv etc. III. pag. 553 sqq. et praesertim pag. 611 sqq., quibus in paginis cl. autor de nostro ordine tractat